

948

viri optimi consilia aspernatus, facinorosos aliquot homines ad apertam seditionem in civitate movendam follicitare sit ausus. Patres ferme omnes seni favebant: seditionis & stulti atque non adeo multi, temerarium juvenem sequebantur: eosque diversa utrorunque studia processere, ut parum abfuerit, quin media urbe sit inter cives dimicatum. Sedavit incensam hinc inde multitudinem, & jam ad pugnam sese expedientem, Candiani auctoritas, continuoque jussu populi, cuius exigua pars nefariæ conspirationis erat conscientia, abrogatum est filio imperium, atque exilium indicatum: omni clero ac primoribus se ultra jurejurando astringentibus, neque patre vivo neque mortuo, passuros se Petrum Candianum, hominem seditionis, in eum Principatum, unde merito esset ejectus, aliquando restitutum iri. Sunt qui tradant, illum in vincula adductum, ac dignum capitali supplicio a populo judicatum, sed patre illius mortem deprecante; in exilium actum: exul ad Guidonem Berengarii filium se Ravennam contulit. Apud quosdam Albertum pro Guidone scriptum reperio. Hoc autem annitente, a Berengario exul impetravit, ut Venetos, quorum judicatus esset hostis, hostiliter insecatari liceret. Sex naves ad hoc ipsum illi datae a Guidone, ut arbitror: nam in ea fortuna haud quisquam privatus rem tantam per se moliri potuisset. His ferox juvenis instructus brevi tempore aliquot Venetas naves circa Ravennæ littora oppressit; quo scelerre ita pater affectus dicitur, ut mœrore & ægritudine nimia intra paucos dies expiraverit, quum annos septem, vel, ut alii tradunt, undecim rei Venetæ præfuisse.

959

*Filius Petri
Candiani e-
jusdem no-
minis ab e-
xilio revo-
catur, &
Dux confi-
tuitur.*

Erecta in novi Ducis creationem civitate (ut levia sunt semper populi studia) confessim quasi miro unius absensis desiderio teneretur, publico decreto Candianus ab exilio revocatus, contra cleri & optimatum jurandum Dux patri surrogatur. Sed neglecti juramenti civitas mox tyrannica Ducis administratione publicoque incendio, Petrus suæ in patrem ac patriam temeritatis meritas pœnas fuerunt. Ferunt officii gratia Ravennam usque trecentas illi